Universitätsbibliothek Paderborn

Disciplina & Institvtio Studiosæ Iuuentutis Tum Pietati & Eruditioni tum formandis moribus seruiens

Coloniae, 1648

Alia gratiarum actio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-55193

Visual Library

Poſt hæc, ſalſamenta & ſal.
Inde caſeus vel quicquid aliud eſt τραγήματα, id eſt, ſecundarum menſarum.
Ad vltimum vnà cum pane remouebitur & mappa.

Hymnus & gratiarum actio poſt ſumptum cibum.

Gloria tibi domine, gloria tibi ſancte, gloria tibi rex: quoniam dediſti nobis eſcas, imple nos gaudio & lætitia in ſpiritu ſancto, vt inueniamur in conſpectu tuo acceptabiles, nec pudefiamus, quando reddes vnicuique ſecundùm opera ſua. Amen.
Pater noſter qui es in cœlis, &c.

Alia gratiarum actio.

Gratias agimus tibi pater cœleſtis, qui tua ineffabili potentia condidiſti omnia, tua inſcrutabili ſapientia gubernas vniuerſa, tua inexhauſta bonitate cuncta paſcis ac vegetas; largire filijs tuis, vt aliquando tecum bibant in regno

tuo nectar illud immortalitatis quod promiſiſti, ac præparaſti verè diligentibus te per IESVM CHRISTVM. Amen. Pater noſter.

De geſtibus in Miniſterio menſæ.

Erectis & compoſitis pedibus ſta, ſolicitè animaduertens, ne deſit quid. Et cum infundendum, ſiue quid porrigendum, apponendum aut tollendum, ciuiliter id feceris.

Amandatus aliquò, reditum matura.

Ante & poſt epulas DEO benedicas, & conſecrationem recitabis.

Aſtans non turbabis, vel interturbabis aliorum ſermonem: ſed interrogatus, breuiter reſpondeto.

Cantharos & vaſa ne per obliuionem confundas, vt alterum fundas pro altero, ſi varia ſunt vina.

Salis ne obliuiſcitor.

Sciſſum vel confractum, menſæ ne apponito.

Inter noctu ſub cœnam aduigilato attentè pro emungendis lucernis,